



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita R. P. Iosephi Anchietae Societatis Iesv Sacerdotis In Brasilia defuncti

Berettari, Sebastiano

Coloniae Agrippinae, 1617

Epistola Ad Antonium Riberium Societatis Fr.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42044

tonius Riberius cum ipso viuere,
eique familiariter ministrare; ad
eum rescripsit è sinu Ianuariensi in
hæc verba.

EPISTOLA AD ANTO-
nium Riberium Societa-
tis Fr.

FRATER in Christo mihi cha-
rissime pax Christi. Satis sciote
intelligere, quàm mihi gratum es-
set, pro meo in te amore, studioque
tuæ progressionis ad virtutem, te
mecum habere: sed, quando Deo
D. N. aliter visum est, demus ope-
ram, vt cum illo coniuncti viua-
mus, eum nobis socium adhibea-
mus, qui in locis omnibus, omni-
busque temporibus nobiscum est:
quem si quando à nobis nostris ma-
lis moribus repellimus, semper ta-
men ad cordis nostri fores adstans
pulsat; vt, aperto ostio intret ad
nos, ac diuersetur nobiscum, vnaque
cum ipso Pater, ac Spiritus sanctus
adueniant. Curandum igitur, ne

Q 3 quis

quis in nobis locus illius vacet præ-
 sentia; neque res vlla alia vllam ne-
 minimam quidem animi partem
 occupet. Est præclara illius Pa-
 tris, & Patriarchæ S. Francisci sen-
 tentia: nolle de nobis diabolum
 plus quàm vel tenuissimum capil-
 lum; ex illo enim cogitat chamum
 ingentem, validumque ad nostras
 constringendas animas, sibiq; vèdi-
 cãdas conficere. Si modò semel nos
 in re aliqua, vel minima, ad no-
 stram sequendam voluntatem im-
 pellit, inde ad alias, atq; alias adigit
 eò vsq; quoad obedientiam postha-
 beamus, quæ non in nostra, sed in
 Dei facienda voluntate sita est,
 Præsidum voce nobis explicata. Si
 semel vel leuissimam turpem cogi-
 tationem excutere cunctemur, id
 ipsum arripit; eoque contentus ei
 longum agmen foediorum specie-
 rum consequentium adnectit. Si se-
 mel modicum in studio orandi in-
 tepescimus, & contentionem humi-
 liter cum Deo communicandi tan-
 tulummodo remittimus, sensim tã-
 tum

tum nobis algorem inijcit in animum, vt non modò internarum cogitationum gustum nullum sentiamus, sed pias etiam omnes exercitationes, & ipsam quoq; religiosam vitam penitus fastidiamus; nosq; ipsos ad libertatem, & humanas voluptates conuertamus. Atque ita prorsus fit, frater charissime. Contède igitur frater ad brauium; magnū iter diuina adiutus ope adhuc fecisti: quantum iam super sit, Deus scit. Id breuissimum fortasse erit: ipse tibi opem feret, ipse te comitabitur. Caue ab eo te abiungas: nam, quanuis peregrinus tibi videatur itinere, vt olim Discipulis Emmauntem proficiscentibus, tamen ad illius sermonis cor tuum inardescet, spiritualique solatio in via redundabit. Scio enim te persæpe, quæ illius bonitas est, spiritualibus hisce delicijs abundare, præsertim porrigente illo tibi inter preces panem coelestium charismatum, & diuinam carnem suã in Angelorū conuiuio. Quòd si quando mentem

Q 4 diuino

diuino solatio destitutam, tædioq;
 affectam languere senseris, illud ti-
 bi remedio fit, eius laciniam appre-
 hendere, atque eum ad te verbis il-
 lis inuitare: *Mane nobiscum Domi-
 ne quoniam ad uesperas cit, inclinata
 est iam dies;* noxque irruiat tentatio-
 num, & solito crebrius, impetrata
 facultate, ad sacram mensam acce-
 dere. Confido enim diuini eius pa-
 buli virtute, te ab ea mensa cum re-
 cesseris, lætitiæ plenum iter ma-
 gna alacritate persequiturum, do-
 nec coelestem teneas Ierusalem.
 Has literas velim cum fratre altero
 N. communices: illius enim quoque
 causâ hæc scripsi; cum utrumq; ve-
 strum, omnesque fratres nostros,
 quotquot in Societate viuimus, eius
 sancti Spiritus plenos esse velim,
 qui tanto cum rei miraculo hodie-
 ro die coelitus illapsus Apostolo-
 rum animos cõpleuit: ut illius diuinis
 donis cõfirmati, nihil vnquam, quo
 illius impediatur in nobis gratia,
 committamus; sed potius tanto au-
 cti amico, tanq; digno hospite in-
 tra

tra nostræ animæ domicilium excepto, ad finem vsque vitæ eius dulci amore, consuetudineque perfruamur. Iesus Christus vnâ cum B. Virgine nobiscum semper hæreant. Amen. E flumine Ianuario prid. Non. Iunias, ipso Dominico die Pentecostes 1587.

Tuus in Christo Frater

IOSEPHVS ANCHIETA.

LICET, cum alia, tum illud maxime ex hac epistola, tanquam ex paruo, contractoque exemplo, quanta in eius verbis vis inesset, intelligere ad hominum animos amore in Deum, studioque pietatis inflammandos. Hæsit in vrbe S. Sebastiano ad annum eius sæculi octogesimum septimum, vt ex eius vidimus epistola; eodemque anno transtulit se ad sedem Spiritus sancti. Et, quoniam semel coepimus eius spiritualem doctrinam delibare, ne id quidem præterire æquum visum est, quod ex ipsa Spiritus sancti sede hoc ipso anno ad Franciscum

Q 5

scum

scum Escalantium scripsit; quem in ipso Ianuariensi sinu ex Hispanica classe ab ipso admissum in Societatem scripsimus.

EPISTOLA AD FRANCISCUM ESCALANTIUM.

I E S V S.

CHARISSIME in Christo frater pax Christi. Quoniam nostra nauis, qua ad te literas dare constitueram, non ita breui iter factura erat, statui nihilominus has ad te literas fortunę committere bonam illis, nobisque, & verē bonam à Deo fortunam comprecatus; quæ est in Dei gratia, & amore semper viuere, & in eo ad finē usque vitæ perseverare. Huius rei causā Deus te ab humanis rebus auellens religionique inuenit; teque in ea tot annos aluit, conseruauitque. Cuius diligenter, ne vel modicum quidem diffidentię cor tuum subeat: nam etsi in te, & tuisque rebus nihil

nisi